



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput XVII. Series & gesta Concilioru[m] generaliu[m], quæ partim  
approbata, partim reprobata sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)



306 *Major auct. S. Script. quam Conc.*  
dine tantum, quæ in Scripturis dicuntur  
& in Conciliis definiuntur, quæ æque  
sunt certa, quia utraque infallibilis sunt  
veritatis.

Nec obstat. 2. Quod Gratianus refert.  
*Can. in Canonicis dist. 19.* Epistolas Decre-  
tales numerari ab Augustino inter Scrip-  
turas sacras, & *Can. Decretales dist. 20.* dicit  
Conciliorum Canones ejusdem esse aucto-  
ritatis cum Epistolis Decretalibus, ergo  
numerandi etiam erunt inter Scripturas  
Canonicas. Nam in primis S. Augusti-  
nus non dicit Epistolas decretales esse  
Scripturam Canonicam, sed iudicium  
de Scripturis sacris pertinere ad Eccle-  
sias Apostolicas. Deinde Gratianus so-  
lum dicere intendit, Decreta Pontificum  
esse Scripturas sacras, ut distinguantur  
à prophanis, & Canonicas, ut distin-  
guantur à scriptis SS. Patrum, quæ non  
sunt regulæ, nec ex se habent auctori-  
tem obligandi, prout infra dicetur. *Cap.*  
*20. Vid. Bellarm l. 2. de Conc. c. 12.*

## C A P U T XVII.

Series & gesta Conciliorum  
generalium, quæ partim appro-  
bata, partim reprobata sunt.

*Duo fuere Concilia Sirmiensa, alterum  
Catholicorum, alterum Arianorum.  
Quini.*



Quini-Sextum & Pisanum. Constan-  
tense & Basileense, quidque in  
iis actum.

SIRMIENSE.

i.

**N**umeratur hoc inter Concilia, quæ  
partim approbata sunt, partim im-  
probata. Verum sciendum duo fuisse  
Concilia Sirmiensa: Primum Catholi-  
corum, alterum Arianorum Concilia-  
bulum. Concilium Catholicum Sirmii  
ab Episcopis orthodoxis 300. celebratum  
fuit A. 349. superflite Constante Princi-  
pe orthodoxo teste Dionysio Petavio à  
Leone IV, ut habetur *dist. 20. c. de libellis*,  
& dicitur Catholicum ab Hilario *lib. de  
Synodo*. Vide historiam tripartitam *l. 4.  
c. 27.* & Apologiam secundam Athanasii.  
At Conciliabulum Arianorum, in quo  
Basilus Ancyranus præcipuas partes egit,  
congregatum est anno Christi 351, aut  
ut Baronius habet A. 357. Constantio  
rerum potiente; Reprobatum hoc est &  
hæreticum dicitur ab Augustino *l. 3. in  
Crescon, c. 34.*

In prima Synodo Catholicorum habi-  
ta à solis Occidentalibus damnatus est  
Photinus, & Decretum transmissum ad  
Orientales. In altera deinde Synodo

U 2

Ariano-



Arianorum Orientalium, qui videri Catholici & Religiosi erga Christum effectabant, Photinus pariter exemplo Catholicorum condemnatus est, & compulsus Episcopatu cedere Constantio vim militum suppeditante, quod lato priorum Catholicorum decreto ob resistantiam plebis fieri non potuit. Novam quoque ediderunt fidei formulam Orientales, qua profitebantur Christum Patri secundum substantiam similem, quatenus DEI filius est, sed consubstantialem silebant. Huic formulæ simulque Athanasii damnationi subscripsit Liberius Papa, qui Sirmii tunc pro fide exulabat succumbens illecebris primæ recuperandæ Sedis, quam Felix à Constantio intrusus occupabat. Postea tamen mortuo Felice resipiscens, & ab Arianorum consuetudine resiliens admissus iterum fuit à Clero Romano in legitimum Pontificem.

## QUINI-SEXTUM.

2. Concilium Quini-Sextum 284. Episcoporum reputatur etiam inter illa Concilia, quæ partim probata partim reprobata sunt. Convocatum est Constantinopoli in Trullo A. 692, vel ut Petavius 707. Unde Canones illius, qui numeran-



merantur 102, Trullani dicti, sed ex Synodo nullam habent auctoritatem, cum eam nec convocaverit Sergius Papa, qui tum sedebat, nec eidem per se vel per Legatos præfuderit, quinimo tanquam erraticam Synodum reprobaverit *Beda l. de sex stat.* Admittuntur tamen aliqui Canones hujus Concilii à Catholicis, quia per se sanæ sunt doctrinæ, prout receptus fuit Canon 82. de pingendis imaginibus ab Adriano Papa, & septima Synodo.

## PISANUM.

3. Numeratur quoque hoc Concilium inter illa, quæ partim probantur, partim improbantur, an benè patebit ex dicendis. Congregatum est Pisis à Cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. pro Pontifice se gerentium ad tollendum schisma A. 1409. Interfuerunt huic Concilio Cardinales 23, Patriarchæ 3, Archi-Episcopi & Episcopi 300, Monasteriorum Præfecti 280, aliique Theologi & Legati Principum Europæ. Ibi uterque Pontifex publico omnium decreto nonis Junii A. 1409. è Pontificatu dejectus, & in ejus locum vigesimo post die electus Petrus Philaretus Cretensis Card. Basilicæ SS. Apostolorum ex Ordine Fratrum minorum, & Alexander



310 *Concilium Constantiense.*

V. appellatus. Dubitatum fuit, an esset Concilium hoc legitimum, quod absque Romani Pontificis auctoritate fuerit Congregatum, ideoque appellatum sit à S. Antonino *part. 3. lib. 22. c. 5. §. 2. & 3.* Conciliabulum. Verum cum Alexander in eo electus inter veros Pontifices computetur, & subinde Alexander VI. se non quintum, sed sextum appellarit, possitque etiam à Cardinalibus tempore Schismatis, quo plures vel duo Pontifices dubii & incerti, etiam ipsis invitis convocari Concilium ad schisma abscondendum, quamvis id præter intentionem non tollatur, videtur omnino legitimum fuisse Concilium.

CONSTANTIENSE.

4. Concilium Constantiense convocatum est pro extinguendo trium Pontificum Joannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Schismate hæresibusque Joannis Hus & Wicleffi proscribendis. Auspicatum est anno Christi 1414. mense Novembri à Joanne XXIII. Successore Alexandri, procurante & promovente maxime Sigismundo Romanorum & Ungariæ Rege, qui ipse etiam nocte Christi natali ad Concilium accessit, cum plerisque Germaniæ Principibus. Festo SS. omnium, quod in  
diem



diem dominicum incidebat, solenniter Joannes Pontifex Missam celebravit, lectoque diplomate de Concilii indictione primam Sessionem in diem 16. ejusdem mensis indixit.

In prima Sessione Pontifex sermonem habuit ad Synodum, & præscriptæ sunt leges in Concilio servandæ.

In 2. Sess. Joannes XXIII. professus est se pacem dare Ecclesiæ paratum per viam simplicis cessionis Papatus, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus de Coriario Gregorius XII. idem facerent.

In 3. Sess. habita sunt consueta Oecumenicarum Synodorum præliminaria.

In Sess. 4. Decretum est Concilium potestatem habere supra Pontificem, cui ipse obedire teneatur, & cogi per pœnas ad hoc posse.

In Sess. 5. Sexto Aprilis declaratum est Joannem illicite Constantia discessisse, & si recuset redire, posse ac debere vinculis innodari, tenerique eum adimplere promissum de resignando Pontificatu. Confirmata est sententia Concilii Romani in Joannem Wicleffum. In causa Joannis Hufs constituti sunt quatuor Judices Commissarii.

In Sess. 6. Decretum procuratorium  
super



super renuntiatione Papatus faciendum esse bonum pro unione Ecclesiæ, teneriq; id Joannem Papam dare, & nominantur Legati, qui id ab eo requirant. Prohibentur famosi libelli & literæ informatoriæ rerum in Concilio gestarum. Decreta est citatio contra Hieronymum Pragensem.

In Sess. 7. A. 1415. 2. Maij contra Hieronymum Pragensem contumacem ulteriora decernuntur. Accusatur iterum fuga Joannis Papæ, & alleganti metum salvus conductus conceditur.

In 8. Sess. 4. Maij damnatæ sunt excerptæ ex Joannis Wicleffi Hæresiarchæ Anglicani libris 45. propositiones. Interea Joannes Papa metuens, ne pro sua pollicitatione compelleretur ad abdicandum se Pontificatu inopinatè re occultè communicata cum Friderico Austriæ Duce Concilio se de nocte subripit, & Schaffusiam aufugit oppidum Friderico subjectum.

In Sess. 9. Accusata est contumacia Joannis Papæ. Mandatum duobus Cardinalibus, & quinque Prælatibus, ut eum viva voce extra portam urbis citarent.

In Sess. 10. 14. Maij Joannes Papa declaratus est contumax, & ab omni administratione & functione Ecclesiastica suspensus fuit.



In 11. Sess. 15. Maij præfidente Joanne Cardinali Episcopo Ostiensi, qui etiam post discessum Pontificis antea præfederat, ad petitionem Procuratoris Concilii consentientibus quatuor Nationum Italicæ, Germanicæ, Gallicæ & Anglicanæ Syndicis ac Procuratoribus institui cœpit criminalis processus, & inquisitio juridica in acta & vitam Joannis.

In 12. Sess. 29. Maij anno 1415. Joannes XXIII. declaratur contra fidem iurejurando commissam fugæ criminalis convictus; Sacri Concilii Prævaricator & Delusor aliorumque scelerum convictus, reus & confessus. ideoque Summo Pontificatu deponitur nunquam deinceps eligendus, sed sub custodia Sigismundi Regis detinendus. Idemque adversus Gregorium XII. & Benedictum XIII. edicto decernitur sub pœna excommunicationis, ne quis horum aliquem pro Pontifice habeat, aut ut tali obediat. Hanc sui depositionem Joannes ipse comprobabat edicto hac de re scripto, Concilio humiliter acquiescens.

In Sess. 13. Præfidente Joanne Ostiensi Cardinali decernitur, communionem sub una specie panis & à jejuniis Laicis sumendam esse.

In



In 14. Sess. 4. Julii recipitur abdicatio Gregorii XII. In eadem Sess. decernitur, ut Petrus de Luna qualicumque cedat sub poena privationis & excommunicationis.

In 15. Sess. 6. Julii damnatur hæresis Wicleffiana, & ejus Assertor Joannes Hufs brachio sæculari traditur puniendus, & cum resipiscere nollet per rogam è vivis est sublatus. Prodiit etiam decretum damnans propositum de tyrannicidio.

In 16. Sess. 11. Julii constituti Procuratores, qui Benedictum Antipapam requirant ad cedendum.

In 17. Sess. 15. Julii Rex Sigismundus ad Regem Aragoniæ pro inducendo ad resignandum Benedicto XIII. Antipapa profecturus, dimissus est. Angelus de Coriario, quondam Gregorius XII. non solum in numerum Cardinalium est relatus, verum etiam perpetuus Legatus à Latere in Provincia Marchiæ Anconitanæ est constitutus.

In Sess. 18. 17. Aug. delegata est quatuor Judicibus potestas judicandi exclusivè usque ad sententiam definitivam omnes causas quæ ad Concilium devolvebantur.

In Sess. 19. 23. Sept. Hieronymus de Praga



Praga hæresin suam voce & scripto ejuravit; Et definitum eos, qui Concilio interessent, omnes beneficiorum fructus justè acquirere.

In Sess. 20. Die 21. Nov. decretum & executum est monitorium contra Fridericum Austriae Ducem propter occupata bona Ecclesiae Tridentinae, approbataque duodecim Capitula Narbonensia, quæ ad extirpationem Schismatis Sigismundus Legatique Constantiensis Concilii & Legati Benedicti XIII. Narbonæ constituerant.

In Sess. 21. Anno 1416. die 30. Maij Hieronymus de Praga iterum audiri in Concilio postulavit, & protestatus est publicè fuisse à se injustè reprobata Wi-  
cleffi & Hussi doctrinam, igitur relapsus traditus est judicio sæculari, à quo vivens flammis est combustus.

In Sess. 22. 15. Octob. admissi Legati Regis Arragoniæ, & impleta sunt ea, quæ in Capitulis Narbonensibus concordata fuerant.

In Sess. 23. 5. Nov. Constituti Judices, qui decernant, qua ratione contra Petrum de Luna procedatur.

In Sess. 24. 20. Nov. lecta & approbata citatio contra Petrum de Luna.

In Sess. 25. 14. Decemb. Administra-  
tio



tio vocantis Ecclesiæ Olomensis commendata est Joanni Episcopo Lutomuslensi usq; ad novi Pontificis electionem.

In Sess. 26. Die 24. Decemb. admissus ad Concilium per Legatos Rex Navarrae.

In Sess. 27. anno 1417. die 20. Februar. facta est relatio executi monitorii contra Fridericum Austriae Ducem, & ob contumaciam ejus ad ulteriora processum.

In Sess. 28. 3. Martii excommunicatus est Fridericus Dux Austriae.

In Sess. 29. 8. Mart. declaratus est contumax Petrus de Luna & ulteriores contra eum citationes decretæ sunt.

In Sess. 30. 10. Mart. approbatum est factum Regis Aragoniæ, qui se ab Obedientia Petri de Luna subtraxerat.

In Sess. 31. Decretum est monitorium contra Philippum Comitem Virtutum, quod Episcopum Astensem incarcerarit.

In Sess. 32. 1. April. proceditur ad sententiam definitivam adversus Petrum de Luna contumacem.

In Sess. 33. Terminus contradicendi Petro de Luna præfixus est.

In Sess. 34. 5. Junii relictum est usque ad sequentem Sessionem singulorum consultationi, quæ sententia in Petrum de Luna ferenda sit.

In Sess. 35. Joannes Rex Castellæ concordiam



cordiam cum Concilio iniuit, hoc Legatos Regis Castellæ à censuris absolvit, quibus eos Petrus de Luna innodaverat.

In Sess. 36. Die 22. Julii lecta est citatio Petri de Luna ad audiendam sententiam privationis & depositionis.

In Sess. 37. 26. Julii deponitur Pontificatu Petrus de Luna omnesque fideles ab ejusdem obedientia absolvuntur.

In Sess. 38. Absolutus Henricus Infans aliique nonnulli à Censuris, quibus eos innodaverat Petrus de Luna.

In Sess. 39. Editum est Synodale decretum de celebrandis Conciliis singulis decenniis. Item decretum de Spoliis & Procuratoribus. Habetur *Tit. de Offic. Ordin. in 6.*

In Sess. 40. 30. Oct. Decretum est ut non obstante absentia Cardinalium Petri Lunensis procedatur ad novi Pontificis electionem; Et quod deinceps electus à duabus partibus Cardinalium verus sit Pontifex. Item statutum est, ut futurus Romanus Pontifex proximè eligendus, ejusque Successores studeant Ecclesiam reformare tam in capite quam in membris, & Romanæ Curiaë defectus emendare.

In Sess. 41. 5. Nov. cui præfuit Joannes Ostiensis Episcopus Cardinalium  
Deca-



Decanus, & interfuit Sigismundus Augustus & Cardinales viginti, post sacra solennia & perlectam Clementis VI. Constitutionem de modo & forma Conclavis, nominati sunt Nationum Electores Cardinalibus ista vice duntaxat adjungendi, qui simul omnes Conclave in communibus civitatis ædibus præparatum ingressi sunt die 8. Nov. anno 1417, & tertio post ingressum die S. Martino Turonensi sacro electus in S. Pontificem Odo Columnensis, qui & ipse Martinus V. cognominari voluit.

In Sess. 42. 8. Dec. & sequentibus Martinus Pontifex ipse per se præsedit.

In Sess. 43. Anno 1418. die 21. Mart. Martinus Pontifex sacro approbante Concilio exemptiones Ecclesiarum, Monasteriorum &c. quas indulserant Romani Pontifices post obitum Gregorii XI. rescidit, & Ordinariorum potestati subjecit. Actum quoque est de revocatione unionum & incorporationum tempore obitus Gregori XI. factarum, Statuta etiam est pœna adversus Simoniacas Ordinationes, Electiones & Provisiones quascunque &c. Et editur Constitutio circa dispensationes. Item de decimis & aliis oneribus Ecclesiasticis provilum est. Demum Sessio termina-



tur editis Constitutionibus de vitæ & honestate Clericorum circa tonsuram, vestes & cultum exteriorem,

In Sess. 44. Martinus de consensu generalis Concilii designat futurum Concilium celebrandum post quinquennium in civitate Papiensi.

In Sess. 45. Die 22. April. dimissum est Concilium, & Pontifex Martinus confirmavit Acta Concilii in materia fidei; Non tamen Decretum Sess. 4. de potestate Concilii supra Pontificem.

Concilium hoc generale fuit, quia licet nemo ex Orientalibus Episcopis interfuerit, vocati tamen sunt, & nemo ex iis exclusus est, atque ipse Pontifex, & quidem per se præsedit. Interfuere Cardinales 29, Patriarchæ 4, Archi-Episcopi 47, Episcopi 270. Est vero Concilium partim legitimum, partim illegitimum. Illegitimum quo ad priores Sessiones, in quibus definitur Concilium esse supra Papam, licet Constantiense restringat hanc Concilii potestatem ad Schismatis tunc grassantis extirpationem prout ostendimus supra *cap. 15. §. 13.* & in *Regali Sacerd. asseritur l. 2. §. 5. n. 13.* quia tamen in iis non legitimè processit, cum una solum tertia pars Ecclesiæ, nimirum Prælati, qui Joanni obediebant, con-

tradi-



tradigentibus cæteris Decreta ista priorum Sessionum formarint, præterquam quod Decretum de Concilii auctoritate supra Papam factum sit nullo prævio examine contra morem aliorum Conciliorum, ideo primæ Sessiones à Papa Martino V. approbatæ non sunt; Cum autem posteriores Sessiones approbarit, quo ad illas Concilium censetur legitimum & approbatum.

### BASILEENSE.

5. Indixerat ex præscripto Constantiensis Sess. 39. & postea Senensis Conciliorum Basileæ Concilium universale Martinus V. sed è vivis exempto Successor illius Eugenius Papæ IV, illud ipsum convocavit anno 1431, & Præsidente Juliano Cæsarino Cardinali Diacono adulta jam ætate celebrari cæptum, sed ob bella & impeditas vias pauci Patres in Sessionibus comparuère. Cum vero vicina certaque esset spes Græcam cum Latina Ecclesia conjugendi, Eugenius Concilium in Italiam transtulit, nam Græci Basileam & Galliam a versabantur, iussitque Juliano Cardinali Basileensem Conventum dimittere. *Bulla Eugen.* Postquam *divina Clementia* Hinc ortæ discordiæ; Negabant enim Patres Concilium jam se-  
mel



mel legitimè coactum dissolvi posse alio-  
vè transferri; Ac cum Pontifex postea  
avocationi insisteret Decretum Con-  
stantiense de auctoritate Concilii supra  
Papam instaurant, illudque de casu Pon-  
tificis dubii ad casum Pontificis certi ex-  
tendunt. Quare Eugenius Decreta Ses-  
sionum post avocationem Concilii &  
discessum Legati Apostolici celebrata-  
rum, sæpe ac graviter rescidit damna-  
vitque, ac proinde hoc Concilium maxi-  
ma ex parte reprobatum est.

Sess. 1. Habita A. 1431. 14. Dec. in Ec-  
clesia primaria Præside Juliano Cardi-  
nali Pontificio Legato; In qua lectum  
Decretum Concilii Constantiensis de ce-  
lebrandis Conciliis; Item Bullæ Marti-  
ni V, & Eugenii, factæque sunt Patribus  
admonitiones. Verum Eugenius 18. De-  
cemb. edito Romæ decreto Concilium  
illud dissolvit, cui tamen Patres Basileæ  
congregati non paruerunt.

Sess. 2. 15. Cal. Mart. 1432. præsidente  
eodem Juliano statuerunt Concilium  
esse supra Pontificem.

Sess. 3. 29. April. judicatum fuit Eu-  
genii præsentiam necessariam esse, ideo-  
que mittunt ad eum Oratores.

Sess. 4. 14. Cal. Julii inhibetur ne Se-  
de vacante alibi quam in loco Concilii

X

Pon-



Pontifex creetur. Ne Pontifex extra locum Concilii Cardinales creet, vel eos avocet.

Sess. 5. In Vigilia S. Laurentii constituti sunt varii Officiales.

Sess. 6. die 6. Sept. accusatur contumacia Eugenii IV. quod Concilii dissolutionem non revocasset.

Sess. 7. die 6. Nov. Terminus intrandi Conclave ad eligendum novum Pontificem prorogatus.

Sess. 8. Iterum cum minis monetur Eugenius, ut dissolutionem Concilii revocet.

Sess. 9. Anno 1433. 2. Jan. rescinduntur acta Eugenii contra Sigismundum, & Wilhelmum Ducem Bavariæ Concilio adhærentes.

Sess. 10. 19. Febr. Accusatur contumacia Eugenii, petiturque, ut tanquam contumax damnetur.

Sess. 11. 27. Febr. Decretum quod Romanus Pontifex per se vel Legatos Conciliis generalibus interesse debeat. Quod Concilium congregare, congregatum dissolvere, aut de loco in locum sine Concilii consensu transferre non possit &c.

Sess. 12. 14. Martii iterum Eugenii con-



contumacia accusatur, quem citant & orant, ut dissolutionem revocet.

Sess. 13. 11. Sept. Post accusatam denuo Eugenii contumaciam quod intra 60 dies Concilio non adhæserit, Promotores Concilii urserunt, in statutas poenas Pontifex damnetur. Imperator alique instant pro dilatione 30. dierum. Adfunt Legati Sedis Apostolicæ; Prorogata est dilatio 30. dierum, & Legati dimissi.

Sess. 14. 7. Id. Nov. terminus 60. dierum Eugenio jam pridem concessus prorogatur, eique formula certa adhæisionis à Concilio præscribitur.

Sess. 15. 6. Cal. Decemb. Decretum de Synodis Diocesanis quot annis celebrandis, & Provincialibus singulis trienniis.

Sess. 16. Recitantur literæ Eugenii, in quibus pacis studio declarat Concilium à prima inchoatione legitimum fuisse, & irritas esse jussit priores literas Concilii dissolutivas. Non tamen approbat omnia gesta legitima esse, imo positivè reprobabat ea omnia, quæ contra se & Cardinales &c. decreta erant. Vigesima quarta April. continuata Sessio 16, in qua Decretum, quod Oratores Papæ recenter Roma missi nimirum Nicolaus Card. S. Crucis, Joannes Archi-Episcopus Ta-



rentinus, Petrus Episcopus Paduanus & Ludovicus Abbas, ac ad Concilium admissi, sed non ut Præsides, Constitutionem Concilii Constantiensis, qua Pontifex Concilii potestati coactivè subicitur, confirmare teneantur.

Sess. 17. 6. Cal. Maij Sigismundus Imp. coronatus cum pluribus Ducibus centumque Prælatiſ mitras albas in capite gestantibus interfuit. Præsides Concilii admissi quinque Legati Pontificis nimirum quatuor supranominati una cum Juliano Cardinali veteri Legato adempta illis omni jurisdictione coactiva.

Sess. 18. Cui nullus præfedit Apostolicæ Sedis Legatus, id quod in actis Synodi adnotatur, revocatum est ad eundem Constantiense decretum de auctoritate Concilii in Pontificem. Nusquam deinde præponitur Sessionibus solenne illud: *Præsidentibus Sedis Apost. Legatis.*

Sess. 19. Id. Sept. Actum de modis unionis inter Græcos & Latinos ineundæ. Decretum deinde contra & circa Judæos convertendos & conversos.

Sess. 20. Anno 1435. 11. Cal. Febr. Decretum contra Clericos & Laicos concubinarios.

Sess. 21. 9. Jun. Annatæ ut Simoniacæ reprehenduntur, Triennalis Beneficii pos.



possessor non turbandus. De horis Canonis, Distributionibus quotidianis, Decentia in choro; De actibus Capitularibus diebus festis non habendis, nec permittendis jocis Theatralibus festo Innocentium.

Sess. 22. Id. Octob. damnantur hæreses F. Augustini de Roma.

Sess. 23. 8. Cal. April. anno 1436. Sanctiones de Romani Pontificis Electione innovantur. Statutum ne Pontifices Consanguineos usque ad tertium gradum promoveant. De numero Cardinalium.

Sess. 24. 8. Cal. Maij Salvus conductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ aliisque septingentis personis offertur. Decreto de Indulgentiis reclamarunt Legati Apostolici, sed non auditi; Interfuerunt solum decem Episcopi, quibus Legati Sedis Apost. cedere debuerunt. *Acta apud Spondan. ad An. 1436.*

Sess. 25. nonis Maij 1437. de loco futuri Oecumenici Concilii statutum, ut vel Basileæ, vel Avenione, vel in Sabaudia Græci conveniant; Pro illis alendis, Ecclesiasticis exemptis, & non exemptis, decimæ sunt impositæ. Sanior pars Episcoporum adhæsit Legatis Apost. & Synodus redacta est ad *Factionem ex*



*vili plebe constantem, quamvis ducem haberet Card. Arelatensem, & quosdam alios Prælatos. Spond. ad An. 1437. ex Actis Patritianis.*

Sess. 26. Pridie Cal. Aug. Eugenius Pa-  
pa, ob varia quibus insimulabatur una  
cum Cardinalibus iterum citatur.

Sess. 27. 6. Cal. Oct. Creationem Car-  
dinalium factam irritam declarant, &  
porro aliam facere interdicit. Bullam  
Eugenii, qua Florentiam vel Ucinam  
pro loco Concilii designaverat, nullam  
decernunt.

Sess. 28. 1. Oct. Eugenius ter alta vo-  
ce citatus ex ambone declaratus est ab-  
sens, ideoque contra eum ulterioribus  
procedendum esse.

Sess. 29. 4. Id. Octob. Præcipitur Eu-  
genio, ut infra quatuor menses sub pœ-  
na suspensionis & depositionis conatibus  
transferendi Concilium desistat.

Sess. 30. Cal. Januar. 1438. Decernitur  
Laicos & Clericos non Sacerdotes non  
adstringi ad communionem sub utraque  
specie.

Sess. 31. 9. Cal. Febr. Cassantur appel-  
lationes ad Sedem Apostolicam. Expe-  
ctativæ & reservationes particulares an-  
nullantur, aliaque circa Beneficia sta-  
tuun-



tuntur. Pontifex velut contumax ab omni administratione suspenditur.

Sess. 32. Cal. April. Concilium Ferrariæ à Pontifice indictum cum Eugenio excommunicatur.

Sess. 33. Anno 1439. 17. Cal. Jun. tres assertiones ponuntur. 1. Concilium esse supra Papam. 2. Papam non posse Concilium dissolvere, prorogare aut transferre. 3. Hæreticos esse, qui has Assertiones pertinaciter impugnant.

Sess. 34. Cal. Julii Eugenium Pontificem deponunt.

Sess. 35. 6. Id. Julii Decernitur, quod post Sexagesimum depositionis diem ad novi Pontificis Electionem procedi debeat.

Sess. 36. 11. Cal. Octob. declaratur, sententiam, quæ tuetur quod B. Virgo Originali peccato obnoxia non fuerit, piam, sanctam, cultu Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & sanctis literis consonam, ideoque tenendam esse. Ut festum Conceptionis B. Virginis 6. Id. Decemb. celebretur; Indulgentiæ in eum finem promulgantur.

Sess. 37. Cal. Nov. Statutum ne Sede vacante aliter quam per Concilium Pontifex eligatur, habeaturque ille Pontifex, quem duæ partes Suffragantium elegerunt.

elegerunt.



elegerint, aliaque circa Electores Electumque decernuntur.

Sess. 38. 3. Cal. Nov. Carpuntur & improbantur acta Eugenii. Ad futuram novi Pontificis Electionem constitutæ sunt 32. diversarum nationum Personæ.

Sess. 39. 15. Cal. Decemb Eligunt septimo die quintoque scrutinio Amadeum Ducem Sabaudia in Antipapam.

Sess. 40. Anno 1440. 4. Cal. Martii mittitur Ludovicus Cardinalis S. Cæciliæ alique Episcopi & Abbates cum Joanne Comite in Thirstein ad electum Amadeum; insignia Pontificatus illi offerunt, cui nomen Felicis V. imponitur, eique soli Obedientiam præstandam esse decernitur.

Sess. 41. 10. Cal. Aug. Libelli famosi contra Felicem V. cæterosque hujus Concilii Patres prohibentur & damnantur.

Sess. 42. Nonis Aug. decernitur, ut decimæ omnium Ecclesiasticorum proventuum Felici Papæ ejusque Collectoribus persolvantur.

Sess. 43. Anno 1441. Cal. Julii constituitur, ut festum Visitationis B. Virginis celebretur 6. Nonas Julii, & conceduntur eo die Indulgentiæ.

Sess. 44. 5. Id. Aug. mandatum ut spoliati ab Eugenio Beneficiis, in possessionem restituantur.

Sess.



Sess. 45. & ult. Anno 1442. 17. Cal. Jun. nominatur pro loco futuri Concilii generalis post triennium celebrandi Lugdunum Urbs Gallia. Pro continuatione Concilii nominatur civitas Lausanna Provinciae Bisuntinae. Sed ibi nil aliud factum, quam quod intercessione Frederici Imperatoris Felix V. Antipapa resignaverit. Quo facto Nicolaus V. Eugenii IV. Successor Concordiae causa confirmavit acta quaedam Basileensia ad Beneficia Ecclesiastica & Censuras pertinentia, non vero caetera. Et non tantum Eugenius, sed & Leo X. deinde in Concilio Lateran. Sess. 11. Decreta Basileensia damnarunt, ut nullum ex auctoritate hujus Concilii robur habeant.

C A P U T XVIII.

*De Conciliis Particularibus.*

*Nationalia convocat Primas seu Patriarcha, etiam Legatus Apostolicus. Provincialia Metropolitanus, vel Episcopus antiquior. Quoties sint celebranda, & qui ad ea venire teneantur. Quis Sessionis Ordo. Qui votum in iis habeant, & quid in iisdem tractetur. Decreta quando publicanda, & quos obligent.*